
1 / Illustrissime Princeps. Nescio quid~~x~~ sinistri audieram de
successu belli Hungarici circa personam vestram; sed humanissimae,
gratissimaeque litterae, quas nudiustertius accepi, omnem moerorem
meum ex falso rumore conceptum penitus absterserunt. Gratulor ita-
5 que primum D. V. Illustrissimae reditum incolumem in patriam; gra-
tulator deindē invictam patientiam in rebus adversis, quae sine dubio
clementissimus Pater noster Deus permittit, ut probatio vestrae
fidei, ut loquitur sanctus Petrus, multo preciosior auro, quod per
ignem probatur, inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in reve-
10 latione IesuChristi. Quod mihi D. V. gratias agat, nulla causa est,
cum plane sit exiguum, quod in gratiam vestram feci. Opto mihi da-
ri occasionem multo plura et maiora praestandi. Interea non inter-
mittam preces, et sacrificia pro D. V. Illustrissima, lectissima
piissimaeque coniuge, et universa ditione ac provincia divinitus
15 vobis commissa. Capuae die 30 Maii 1603.

[Fuligatti, Epp.famil. XXXII.]